19
5d

NONNULLA
DE MORBO SCROFULOSO
TENTAMEN INAUGURALE

QUOD

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI SAPIENTISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI RECTORIS

PERILLUSTRIS FACULTATIS MEDICAE P. DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM D. D. PROFESSORUM

AUSPICE

D. FRANCISCO FLARER

Ophtalmologiae Professore P. O.

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE CAPESSENDAM

IN CELEBRATISS. I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Mense Augusti Ann. MDCCCXXXIV

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTEBAT

JOSEPH LENDINARA

VERONENSIS

CHIRURG. DOCTOR ATQUE ARTIS OBSTET. MAGISTER

—o—

TICINI REGII

Ex Typ. P. Bizzoni

I. R. Universitatis Typograph.

Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas.
Virg. Georg. lib. II.

Nulla in re ad Deos homines propius accedunt, quam salutem hominibus dando.
Cicero.



NONNULLA
DE MORBO SCROFULOSO.



Scrofula derivatur a latino verbo scrofa quae significat Suem (itale porca): rationem nominis in eo ponunt nonnulli, quod suibus similes tumores valde sint familiares: alii dicunt a tumoribus scrofulosis colla hominum ita quandoque incrassari ut collis suillis similes evadant.

Mira adest confusio quoad nomina, praecipue inter veteres, ita ut non tantum sub diversis appellationibus idem morbus occurrat, sed etiam vocabula ad hoc vitium pertinentia, ad morbos prorsus discrepantes designandos trahantur. Apud Graecos veteres Hippocratem, Gallenum aliosque vocantur χοιράδες; veteres Latini Celsus, Plinius et alii, strumas, tubercula colli, excrescentias glandularum colli et sic porro.

Medici quoque inter se nequaquam consentiunt quoad naturam: aliqui conspexere scrofulas ut morbum localem, alii universalem, quidam posuerunt in humoribus, admittendo lymphae noxias, aut acredinem aut obstructionem vasorum lymphaticorum, alii cum collocant in solidis, et praesertim in systemate lymphatico. Hippocrates

scrophulas considerat ut morbum specialem glandularum humore algido pituitoso generatum. Hufeland acrimoniam lymphae peculiarem judicat esse: Bordeu, statum aciditatis fluidorum: Gamet, depravationem fluidi nervei: Broussais atque Girtanner, irritationem systematis lymphatici; alii ut Stoll, Selle, Portal, degenerationem virus syphilitici.

Si consideramus morbum scrofulosum in statu simplicitatis, nil aliud est quam dispositio peculiaris omnium solidorum organicorum, cujus effectus est prava elaboratio atque animalisatio chyli et infarctus textuum praecipue lymphaticorum, in quibus fere semper principalia symptomata manifestantur. Scrofulae a veteribus, secundum tumorum habitum atque circumstantias externas distinctae fuere; hinc in benignas et malignas; in indolentes et inflammatorias; apud alios in mobiles et fixas; profundas vel superficiales; Sauvage eas dividit in occultas et apertas; quae quidem divisiones nullius momenti in praxi sunt.

Utile potius erit distinguere scrophulas veras a falsis, idyopaticas a symptomaticis, quia observantur plures morbos systematis lymphatici comites habere hujusmodi obstructiones ut v. g. syphilis aut aliae adfectiones quae sunt extraneae huic systemati, ut phlegmasiae cutaneae, odontalgia etc. hujusmodi obstructiones sunt ergo simptomaticae, aut sunt effectus alius adfe-

ctionis, nam evanescunt, imminuuntur, adparent cum ipsa adfectione: scrophulae verae e contra sedem habent in systemate lymphatico et pendent exclusive ab affectione istius systematis; et tantum agendo in hoc systema et curando istiusmodi affectionem, curare possumus scrophulas legitimas, dum e contra cura scrophulae falsae, respondet morbo qui scrophulam ipsam peperit. Distingui praeterea debet morbus scrophulosus a scrophulis, nam primus est vitium totius organismi, secundae vero effectus sunt hujus vitii.

Quemadmodum morbus scrophulosus sedem habeat in systemate lymphatico, ita in glandulis lymphaticis tumescentiae ut plurimum primo se ostendunt; isti tumores ex peculiari incitatione orti, initio sunt molles, elastici et progressu temporis sensim sensimque fiunt duriores: isti aliquando sunt parvuli, et quandoque insigne volumen aquirunt; figura gaudent gibberosa, irregulari, inaequali: durities et mollities glandularum in variis locis saepe diversa est, cum in uno loco callosam quasi duritiem, in alio fungosam materiem et alio collectum humorem tactu percipere videtur: initio sunt mobiles absque dolore atque cutis decoloratione, et tales per plures annos permanent usquedum pro causis excitantibus inflammentur, secus temporis successu immobiles fiunt, vicinisque et subjacentibus partibus firmiter accrescunt. Inter organa facilius hoc morbo correpta, primum tenet

locum mesenterium, quod glandularum lymphaticarum serie constat: pueris scrophula laborantibus, mesenterii glandulae infarctus magis obnoxiae videntur quam aliae ad systema lymphaticum pertinentes: *Quotquot aperui*, inquit Hallerus, *eorum mesenterium semper magis strumosum inveni*. Hae glandulae variae magnitudinis sunt, quaedam ut pisi, aliquando vero insignis voluminis, sic apud Tulpium exemplum habemus tumoris glandulosi in mesenterio 18 libras pendentis. Ast non solum in mesenterio tumores scrophulosi reperiuntur, sed etiam per totum fere corpus, nempe in collo, inguinibus, ad pericardium, sternum, diaphragma, supra asperam arteriam, ad jugulum, ad axillas, in hepate, liene, peritoneo, omento, et ipsis vasis lymphaticis; sic de Haen de viro narrat, cujus universum fere corpus praeter alia vitia tumores tum cystici, tum glandularum conglobatarum alterisque etiam internis, uti cadaveris sectio docebat, non exceptis, deturpabant.

Primo adspectu qui laborat morbo scrophuloso, facile dignoscitur a preponderantia systematis lymphatici prae aliis systematibus. Sanguis vena eductus sero abbundat, minus fervens et rubens est, quam in homine sano; ex chemica analysi compertum habemus albuminam atque gelatinam majori in copia adesse quam fibrinam; musculi ex fibrina fere exclusive nutritionem repetunt; ergo hisce notionibus explicari potest,

cur in istis hominibus, molles debilesque musculi observantur.

Ex phisiologia innotescit, quod quotiescumque inter varia systemata organorum, aequilibrium perturbatur, eo magis systema nervosum vim aquirit, qua est major defectus; hinc scrophulosi elata sensibilitate gaudent, quam perturbationes physicae etiam parvuliores ac morales magis magisque extollere possunt. Scrophulosi aut sunt quammaxime tristes, aut dulcem characterem usque a prima aetate manifestant: aeris mutationes facillime insensibilem eorum turbant transpirationem, et ideo frequentioribus rheumatismis obnoxii sunt. Qui agnoscit physicos influxus in vim moralem et peculiaria phaenomena elatae sensibilitatis, gracilitatem ac irritabilitatem corporis explicabit qua causa infantes scrophulosi, praecoci ingenio, praematuraque intelligentia conspiciuntur. Sequenti modo Hallerus hoc phaenomenon explicat: *chylus liquor blandus, qui partes fovet nutrientes, gelatinosas spirituosis subtilioribus exacte mixtas, nutrit sine stimulo, in scrophulosis vero ob infarctus glandularum mesenterii, totiusque systematis lymphatici, subtiliores tantum alimentorum partes a gelatina, non satis temperatae sanguinem intrant, atque nervosum systema incitant, stimulant illiusque organa subtiliora quasi reddunt.*

Scrophulae certo plerumque periodo vitae potissimum manifestantur, sic pueri sunt magis

huic morbo praedispositi et rarius adulti conflictantur, dum observatum fuit a clarissimo Selle, de sexaginta aegris, quinque tantum vel sex adultos esse. Praecipue scrophulae infestae sunt pueris inter dentitionis et pubertatis tempus; adulti hoc morbo cum sint conflictati, per saepe tabe mesenterica aut phthisi pereunt.

Symptomata.

Scrophula in scenam prodit sub totis formis, ita ut difficile sit eam noscere; itaque ut diagnosis magis perspicua fiat in tres dividitur periodos: in primo latens est, sed dispositio existit, in altera periodo, symptomata propria praesefert; et in tertio periodo morbus ad disorganisationem pergit.

Primus gradus: pueri pulchri plerumque sunt, plena colorata facie, genis roseis, oculis magnis, claris, vividis (cum nempe abest ophthalmia) ut plurimum caeruleis, pulcrisque capillis gaudent: labium superius tumidum, tempora pressa, amplae maxillae, nasus nonnihil crassus, et excoriatio quandoque adest in naribus, ob mucum ex iisdem acrem effluentem; laxus quidem et imbecillis totius corporis habitus, plenum potius et succulentum est corpus, cutis glaberrima, exilis; parum compacta et magis transparens, venarum facilem visionem permittens; abdomen est magis evolutum statu naturali, quam-

vis non valde durum sit, ut observatur progrediente morbo. Vitium scrophulosum exercet in evolutione corporis effectus inter se discrepantes, interdum fit tarda, quandoque vero nimia et rapida est vegetatio. Alibert historiam tradidit hominis scrophulosi 32 annorum nati, qui debilis erat a nativitate et gracilis ad pubertatem usque fuit, sed hac aetate adeo corpus increvit, ut fere pervenerit de repente ad sex pedes et quatuor pollices, brachia, manus, superabant duplicem statum consuetum, lingua summopere lata, vox rauca.

Quaedam incommoda possunt conjungi diathesi scrophulosa, uti epistaxis, corrhiza frequens, tussis pituitosa, exulcerationes et crustae plerumque in capite, quae omnia pauci aut nullius momenti videntur.

Secundus gradus: glandulae lymphaticae totius corporis tumere incipiunt, sensim sensimque eorum volumen et consistentia augetur, et tandem morbo progrediente durae immobilesque fiunt, cutis quae eas tegit fit rubra, profundusque dolor apparet, surda inflammatio, et dein suppuratio observatur; facies pallida est ac oedematosa, oculi nitore orbati, languidi lachrymosi et utplurimum rebelli ophthalmia laborantes: haec plerumque complicatur cum ulcusculis, qui effundunt humorem viscosum, appellatum a Scarpa fluxum palpebrarum; hic humor saepe irritans est ita ut rodat atque inflammet proximas

partes: aurium fluxus adparent, impetigines variae, gingivae facillime dant sanguinem, bronchia et viae digestionis copiosam muci secretionem praebent, hinc tussis pertinax, morbi ventriculi pituitosi, prava digestio, et in puellis blenorrhagia partium genitalium, halitus oris foetens, pyrosis, faeces alvinae ab acido in primis viis hospitante et bilis inertia, albidae sunt et insolitum foetorem exhalant, venter valde tumet, et respiratio fit brevis, molesta, si pulmones copiosa obsideantur pituita, et si hydrothorace praecipue complicatur aut si glandula thyroidea valde tumeat.

Periodus tertia: obstructis valde glandulis mesentericis, elaboratio principiorum nutrientium fit prava et in lymphatica vasa translata eos irritat atque inflammat. Tabes mesenterica est exitus funestus et magis frequens morbi scrophulosi: tunc facies fit pallida, nigricans, flacida atque marcescens; habitus totius corporis extenuatur ac contabescit, venter valde tumidus est, inaequaliter durus et nodosus; sensu ponderis in imo ventre torminibusque frequenter conqueruntur; conjungitur alvi fluxus mucosus, in progressu mali diarrhoea faetidissima adparet et alio tempore alvus strictior est; tristes morosi sunt, in iracundiam proclives, indignabundi, neque raro eos cruciat anxietas et cordis palpitatio, quae ex circuitu sanguinis in abdomine impedito ob viscerum infarctus derivanda est, sanguis magis

ad superiora ascendit, hinc flacida cutis, totumque corpus infirmum, pulsus sunt parvuli sed admodum tensi, celeres, inaequales, dolores artium vagi quandoque excruciant, ingruit tandem phthisis, sudores profusi, diarrhoea coliquativa et in ultimo morbi stadio oedema pedum, manuum mortem prenuntiat.

Tumores albi articulationum dependent saepe numero a diathesi scrophulosa et plerumque complicati sunt cum rachitide aut chronica ossium inflammatione. Luxatio spontanea fere semper naturae scrophulosae est: expulsio capitis femoris a sua cavitate pendet a tumore morboso cartilaginum aliorumque textuum alborum ex inflammatione; hydrops atque hydrocephalus sive acutus sive chronicus ex scrophulis pendere possunt, propter inflammationem vasorum absorbentium, ex qua serus non absortus accumulari potest, in aliqua corporis parte; hoc accidit saepe post suppurationes glandularum, post tineae repercussionem et sic porro.

Aetiologia.

Suppeditata jam scrophularum historia, ad causarum morbi nostri considerationem, veraeque ejus indolis atque naturae scrutinium devolvamur, et primo quidem loco, de causa proxima locuturi sumus, subjungendo dein praedisponentes atque procatarticas causas varias.

Auctores quoad causam proximam inter se nequaquam consentiunt, et hujusmodi opinionum discrimen originem ducit a formarum differentia, quibus ingruit morbus scrophulosus. In praesens duae extant sententiae auctoribus magis communes et fortiter propugnatae, nempe alii in languore sive asthenia totius corporis et praecipue systematis lymphatici eam ponunt; alii vero in irritatione hujusmodi systematis. Nos quidem de hac sententia convenimus, idest sit lenta et specifica phlogosis systematis lymphatici, nam si asthenia esset causa proxima scrophularum, systema lymphaticum non amplius evolutum actuosius observeretur, sed potius emaciatum et viribus magnopere destitutum. Cum musculi sint admodum crassi, vasa sanguinea extricata et fluido opleta, color cutis subruber, pectus latum, tum systema sanguineum omnibus, praevalere et vim suam esse auctam asserimus; hoc posito cum eadem occurrant in systemate lymphatico, asserere opus est ab asthenia nunquam derivari. Observamus praeterea aetatibus variis eas corporis partes scrophulis frequenter obnoxias quae irritabiliores ac sensiliores sunt, uti abdomen in infantibus et praesertim pars trunci superior, in pueris pectus, adultis vero cavitas abdominis. Si morbus scrophulosus astheniae effectus esset, contraria sequi viderentur, nempe partes potius debiliores ut magis praedispositae scrophulis corriperentur. Observatur

deinde generatim partes languore adfectae, progressu temporis in atrophiam incidere, dum partes vero incitabiliores ac irritatae de die in diem volumine et energia augentur; hoc quidem evenit systemati lynphatico, et scrophulae igitur non ab asthenia sed potius ab irritatione proficisci debent. Textus lymphatici morbo scrophuloso obrupti, tumere incipiunt, rubescunt atque dolent, quae symptomata sine dubio propria sunt exclusive verae inflammationi. Quidam auctores probare credunt hunc morbum ab asthenia derivare, ex causis debilitantibus quibus originem ducit, et a cura tonica quae magis convenit ad hunc morbum debellandum. In primis, falsum est quod causae quae evolutionem favent scrophularum, sint omnes deprimentes; at ponimus hoc esse uti asserunt, istae agere debent systema sanguineum deprimendo et vim quidem systematis lymphatici augendo, nam inter haec duo systemata emulatio extat talis, ut cum unus omittat, eo magis alius vim aquirat; hinc systema lymphaticum actuosius factum, magnam praesefert dispositionem ad scrophulas. Quoad curam praeterea tonicam; haec si utilis quandoque fuit, accidit quia systemati sanguineo torporem aufert, eoque vim impertit, et vitalitas systematis lymphatici tunc imminuitur; hisce perspectis jure concludere possumus causam proximam consistere in lenta et specifica phlogosi systematis lymphatici.

Tanta est causarum remotiarum varietas ab auctoribus huic morbo assignata, ita ut valdopere obscura eruitur aetiologia: de scrophulis recte pronunciat D.r Faure: *En parcourant les auteurs, qui en ont ecrit, on voit; qu' il n' y a presque point de cause, qu' on ne lui ait assignée.*

Omnes fere Medici distinguere solent causas in praedisponentes et occasionales sive excitantes.

Causae praedisponentes.

a) Haereditas: major infantum pars a genitoribus scrophulosis orti, dispositionem praeseferunt ad hunc morbum. Difficultas intelligendi morbum non contagiosum haereditarium esse posse, caussa fuit qua nonnulli medici negaverint characterem habere haereditarium; nihilo tamen secius experientia docet, hoc potissimum dari; et revera nonnulli infantes non modo praedispositionem, sed etiam formam hujusmodi adfectionis praeseferunt, ita quidem nasci videntur cum oculorum inflammatione, exulcerationibus, eruptionibus cutaneis, et similibus.

b) Aer: systema lymphaticum absorbet in aere principia vitae, ut planta absorbet ex sinu terrae fluidum nutriens: cum igitur aer impurus, noxiis exhalationibus contaminatus, et praesertim frigidus et luce orbatus sit, torporem edit in functionibus organicis, pro quo elabo-

ratio, ac adsimilatio, imperfectae fiunt, congestiones efformantur in vasis lymphaticis, ex quibus irritationes et scrophulae oriuntur.

c) Immundities: materies excrementitia in cutis superficie accumulata, transpirationem cutaneam impedit, et a vasis lymphaticis absorpta, in massam humorum transfertur, et hinc secretiones variae vitiantur, digestio ob consensum quae cutim et ventriculum intercedit depravatur, lympha acris indolis secreta vasa lymphatica irritat, et hic morbus ex hoc originem ducit.

d) Nimia spiritus contentio: maxima est relatio inter cerebrum et ventriculnm, uti ex anatomia patet et hodierna observatione quod edaces tardi ingenii sunt, et ii qui studiis defatigantur, pravam ferunt semper digestionem; et revera vires quae inservire debent digestioni et evolutioni corporis labefactantur, et hinc prava secretio lymphae, functionis systematis lymphatici infirmantur, et diathesis scrophulosa adparet.

e) Vita sedentaria: pueris necessarium est exercitium instar alimenti; defectus exercitii vis motricis et nervosae debilitatem parit, quare ventriculus omnesque aliae secretiones vitiantur, et praedispositionem offerunt ad scrophulas.

f) Aetas atque sexus: Infantes a secundo nativitatis anno ad pubertatem usque et juvenes plusquam adulti scrophulis obnoxii sunt, ob

fibram totius corporis debilem, systematis lymphatici abundantiam, humorum serosorum copiam et pronitatem ad acida. Foeminae ob debilitatem constitutionis et sensilitatem nervosam majorem, sunt magis praedispositae quam homines: sic exprimit Hyppocrates = *mulieris corpus humidius est quam viri;* et alio loco, *mulieres rariore et molliore carne esse, quam virum censeo.*

g) Lactatio artificialis: si comparentur infantes qui nutritionem accipiunt a matre, cum iis qui aluntur artificiali modo, observabimus, primos generatim pingues, sanosque, cum alii debiles, languentes sint, praesertim primo anno infantiae; et revera infans artificiali lactatione non potest ope labiorum motuum, miscere salivam cum lacte, ut ex hac miscella accipiant quamdam animalisationis speciem, et sic facilior reddatur digestio; hinc saepe saepius saburris plerumque acidis obnoxii sunt, chilus eductus acidae indolis, glutinosus, tenax, nec adsimilationi accommodatus, lente circulat in vasis lacteis, irritat membranas illorum et obstructiones quidem insuper ansam praebet, quae maximam praedispositionem offerunt ad scrophulas.

h) Abusus medicaminum: nocet valdopere pueris, quia naturale robur ventriculi infirmant atque irritant hujusmodi membranam mucosam, debilia ac irritabilia facta infantum in-

testina crebra purgatione, magis magisque infirmantur, unde pituitosa saburrae accumulatio, vermium soboles et resultans inde iterum iterumque purgandi necessitas, digestio turbata, adsimilatio male conficitur et morbus scrophulosus adparet.

i) Vermes intestinales: quibus persaepe conflictantur infantes, corpus scrophulis obnoxium reddere possunt, quum illi et digestionis vires laedant, et pituitam acrem lymphaticis vasis infensam progignant.

Omnes morbi qui natura sua aut cura quibus convenit diu perturbant digestionem et praecipue nutritionem aut vasa lymphatica quodammodo irritant, causam esse possunt morbi scrophulosi: hae sunt: insitio variolarum sine cautela instituta, ubi pus a pueris depromitur aut labe scrophulosa jam detentis aut alio quodam morbo infantili jam laborantibus, magnam cutis exulcerationem immo et cariem ossium ad locum insitionis hac de causa enatam esse expertus sum. febres intermittentes, aliaeque adfectiones organicae quae ventriculum aut nobiliora viscera perturbant, prima dentitio difficilis, menstruatio irregularis aut hujusmodi supressio, diarrhoea cronica, al apud M. Hebreard leucorrhoea, frequentes uteri haemorrhagiae; et apud Hallerum, impetigines ac crustae lacteae retropulsae; syphilis et praesertim cura mercurialis; aliae quoque recenseri debent inter

scrophularum causas : sic veneris abusus , onania , narcoticorum ac emeticorum abusus ; balnea frigida ; apud Petit etiam partus; Warthon , vita celibs; juxta Huffeland, timor, terror , resectio crinium saepe saepius iterata infantibus noxia et sic porro.

Causae occasionales.

Inter causas excitantes enumerantur contusiones , vulnera , ictus , et equitatio , pressiones glandularum ab angustis vestimentis, aut alio modo factae , penis ulcus , phlegmasiae variae uti observavit Sydenhamius; et apud cl. Fabre, dentes molares cariosi etc. ita quoque inter causas excitantes recensentur omnes morbi qui elective agunt in systema lymphaticum, et huic irritationem adficiunt, uti variolae, morbilli , scarlatina, impetigines praesertim retropulsae , tempestates et praecipue verni tempus , quia calor frigusque vicissim sibi succedunt, qua causa adfectiones catarrhales in membranis mucosis excitantur , hinc irritationes adferunt praesertim systemati lymphatico et evolvi possunt scrophulae. Sic ait Hoffmann: Refrigerium post vehementem corporis excalescentiam admissum , disphagiam produxit, et progressu temporis intumescentias glandularum lymphaticarum totius corporis.

Terminationes.

Triplicem, ut omnes morbi, scrophula terminationem agnoscit, in sanitatem nempe, in mortem, et in alios morbos. In salutem transitus quandoque conceditur, si morbus sit in primo aut principio secundi stadii, tumores recentes, mobiles, plane indolentes ac inflammationis expertes, nec mutatus ullo modo cutis color aut textus; si decursus sit simplex absque complicatione, uti ait De-Haen »*nisi glandularum in pueris, tumores alieno malo adjuti* »*sint, ipsi sanitati non solum nil afferre detri*»*menti, sed quoque perfectiorem eam quodam*»*modo reddere*. Si adparent in infantibus potius, quam in adultis, nam in plurimis casibus tempore pubertatis robore corporis aucto et in foeminis excretione menstrua accedente, scrophula disparet; si demum prompta artis subsidia, aptum regimen diaeteticum, ac reliquae faventes circumstantiae praesto sint ad causam morbi proximam illico debellandam.

Sub oppositis conditionibus, frequentissimus hujus morbi exitus in mortem est; hinc si morbus ad tertium periodum pervenit, si totum fere corpus tumeat et praesertim abdomen doleat, si articulationibus tumores adsint albi, si symptomata gaavissima sunt, aut morbus complicatur rachitide aut variis phlegmasiis or-

ganorum, quae plures glandulas continent, si neglecta aut prava medendi methodus, aptae diaetae et circumstantiarum faventium defectus, si diu persistit morbus pharmacis rebellis et tussis pertinax sicca, molesta exsurgat atque corpus evidenter emaciatur, progressu temporis, tabes mesenterica, aut phthisis sic dicta scrophulosa oriuntur, quae sensim sensimque mortem afferunt. Cum conditiones medium teneant inter eas quae sanitati opitulantur, et quae mortem adducunt, scrophula in alios transit morbos, nempe infantibus in rachitidem, phlegmasias chronicas catarrhales et praesertim conjunctivae ocularis, pituitariae et mucosae intestinalis, in suppurationes glandularum externarum, cutis defoedationes, impetigines, et similes; in adolescentibus transit saepe in phlegmasias membranae mucosae bronchiorum, urethrae, vaginae, in luxationes spontaneas etc. In adultis vero in hydropes, eruptiones cutaneas, ulcera maligna, strumam etc. quae interdum magnum acquirit volumen, ita ut comprimendo tracheam, difficilem reddat transpirationem, deglutitionem, et vocem nonnihil impeditam.

Sectiones cadaverum.

Plurimae obstructae glandulae, induratae, emaciatae, ulceratae, stagnans latex, prava materies multiplex collecta grisea aut albida etc.

in scrophulosorum cadaveribus obvia sunt, cum vix hoc morbo extinguantur, nisi ad insignem gradum provectus fuerit, vel atrophiam, phthisim, hydropem post se traxerit; infantibus atrophia laborantibus, lien et hepar tumidum, obstructum induratum, et uti ait Lieutaud, siccum quandoque reperiere medici: ita etiam epiploon liquefacto adipe fusum, collectiones copiosas muci tenacis saepe viridescentis in abdomine, stagnationes varias in pectore et capite, serosas, saniosas, purulentas, sarcomata polyposa ventriculo et intestinis extus et intus adnatas inventa fuere.

Prognosis.

Cognitis morbi terminationibus atque circumstantiis, ad prognosim nunc deveniendum est. Major auctorum pars, morbum scrophulosum difficilis curationis semper judicarunt; tamen si tumores sint externi, mobiles, recentes, superficiales, et nobiliores partes internas non obsideant, si habitus corporis non sit pravus, aut inquinatus rachitide, siphilide, scorbuto, impetiginibus, si a solis procatarcticis causis proficiscatur, apta medela et faventibus circumstantiis, faustus exitus sperandus est. Periculosae e contra sunt scrophulae, quo pluribus locis erumpunt et quo plures ac nobiliores partes internas laedant, et si ad aetatem

adultam aegrotans sit perventus, nam ait Roussel: »*nisi inter pubertatem et vigesimum quin*»*tum aetatis annum aegrum dimittunt, scro*»*phulae raro postea curari*«. Gravior ut plurimum erit, qui a vitio ex haereditate innato proficiscatur, qui complicatus sit aliis morbis, si mesenterium adficitur et praecipue in atrophiam aut phthisim pulmonum malum propendet. Generatim tamen si consideramus scrophulam morbum esse naturae non satis admodum cognitae, rebellem persaepe omnibus medicaminibus; si consideramus praeterea complicationes latentes, quae saepe numero uniuntur cum diathesi scrophulosa, exitusque funestos quibus totum corpus minari potest, et quod omnes auctores ab omni aevo, scrophularum medelam difficilem agnovere, prognosim dubiam, semper pronunciare debemus.

Cura.

Difficillimum medicae artis cultoribus putamus, regularem admodum et rationi congruam scrophulae curationem decernere, cum de causis naturaque auctores inter se nequaquam consentiant, et ingens sit medicaminum farago ad scrophulas laudatorum, ita ut vix ullum, ut ait Faure existit remedium quod non adhibitum fuerit, et cum denique ejusmodi decursus ac symptomata quadam irregularitate procedant et saepe obscura et complicata videantur.

Therapiam dividimus in diaeteticam et pharmaceuticam. Dietetica ad causas removendas intenditur, quae favere possunt evolutioni hujus morbi: pharmaceutica, morbum compescit.

Ut removeantur caussae, aeger respirare debet aerem purum, siccum, valde oxygenatum, nam sub ejus influxu, systema cutaneum excitatur, cursum promovet secretionum, et organis promptior ac perfectior fit sanguinis venosi mutatio. Commendatur corporis exercitinm, aetati, temperamento et viribus accommodatum, quod circulationem accelerat, et hinc favet textuum animalisationem. Alimenta sint leviora et facilis digestionis, nam in hoc morbo multnm influit bona nutritio: vitanda sunt alimenta cruda, crassa, flatulenta, glutinosa, dispepta, in acidum prona, quia digestionem turbant, et pravus chilus eruitur. Juvant interdum frictiones levi manu in cutem confectae, quae excitant transpirationem et motum fluidorum accelerant: commendatur quoque mundities corporis, ad quam servandam aptissima sunt balnea egelida et emollientia: uno verbo laudantur omnia quae obstant, ne morbus evolvatur aut protrahatur.

Curam pharmaceuticam dividimus in radicalem et symptomaticam, prima causam proximam tollit atque effectus morbosos avertit; secunda vero temperat tantum morbi excessus, illinsque producta quae curae generali subjici nequeunt.

Caussam proximam, jam diximus consistere in quadam lenta et specifica phlogosi systematis lymphatici; indicationes quidem erunt hanc diruere, ejusque producta tollere, quo sub intuitu antiphlogistica solventia praestantiora videntur. Morbo devicto ad roborantia confugendum erit ut tonum amissum reddere systemati lymphatico et praecavere lapsum recidivum in malum possimus.

In scrophulis ante omnia, ventriculum atque intestina opus est materiis noxiis usu purgantium aut emeticorum expurgare, quae non solum materies intestinis obsitas evacuare valent, sed totum corpus concutiunt, vasorum systemata extimulant, omnium solidorum reactionem mire augent, qua causa humorum circuitus acceleratur, et energia systematis lymphatici exaltatur, et hinc infarctus etiam tolluntur. Inter haec praeferri merentur ipecacuanha, tartarus emeticus, et sulphur auratum antimonii: Hufeland ait: *Emetica interdum dissipant remotiores obstructiones.*

Ex celebratissimis remediis solventibus sales cum basi terrea, alkalina, aut metallica multum contra scrophulam laudantur. Salia media egregia virtute pollent resolventi, alvum blande promovent et diuresim, absorptionem excitant, et quidem congestiones dissipant, quod in hoc morbo maximi momenti videtur; attamen non omnia possunt administrari absque

periculo, nam interdum quaedam nimis debilitant et solida relaxant, qua causa ne ulterius infirmentur, novisque hinc stagnationibus suppeditetur occasio, mitiora snnt praeferenda, uti terra foliata tartari, tartarus solubilis, sal mirabilis Glauberi, nitras potassae, carbonas potassae et sulphas sodae et ut plurimum, flores salis ammonii a Selle praesertim commendatis. Inter alcalina, habentur subcarbonas potassae, soda, magnesia quae virtute pollent eminenter solventi, et in canali alimentari acida varia sugent et hinc sales neutri fiunt; qua causa magnum emolumentum praestant in hoc morbo; hisce vero praeferri debent murias calcis et murias barytis, recenti aevo summe laudati, sed cautus tamen sit horum medicaminum usus, nam interdum agere possunt ut venena et in extremum vitam adducere; primis vicibus praescribantur a granis quatuor ad sex in die, prudenter dosim sensim sensimque augendo usque ad scrupulum. Cognoscitur reactio venenosa muriatis barytae ex paresi immo et paralysi digitorum quae post longum usum ad dosim etiam sat magnam derepente interdum oritur.

Alcalinis analogum remedium constituunt sapones, et primo venetus, qui ad acidum infringendum, viscidum resolvendum, glandularumque infarctus dispelleudos eximia valent virtute. Inter medicamina antiscrophulosa reperitur apud veteres aqua marina; Roussel, Bordeu,

Gaubius plures sanasse referunt; praescribitur interne refractis dosibus, nempe unciis quatuor mane potandis et adscendendum paulatim ad libram integram, vel sola vel melle admixta et edulcorata: initio sitim plerumque molestam creat, qui vero frequenti usu sensim evanescit, vel admixta aqua vulgari frigida mitigatur.

De pharmacis laudabilibus contra scrophulam habetur jodium: hoc efficacius agit plusquam alia antiscrofulosa, et fere semper ad optimum exitum morbum perduxit. M. Coindet et M. Lugol, aliique celeberrimi medici, plurimas sanationes hujus ope obtinuisse testantur; adhibetur plerumque forma tincturae dosi xxx ad xl guttarum; multum quoque laudarunt practici illius praeparata, praesertim hidrojodatum potassae et hidrojodatum ferri solutum in aqua pro usu interno, aut externo sub forma unguenti.

Bromum consimile videtur naturae jodii, et a medicis praescribitur cum jodium absque effectu experiatur: inter hujusmodi praeparata in usum trahitur hidrobromatum potassae et bromurum ferri; haec pharmaca tamen summa prudentia praescribi debent, nam interdum cardiopalmus, tussis sicca et frequens, rapida corporis macies, virium defectus, cardialgia, oedema pedum et ulcera superficialia obtingere videntur. Inter solventia metallica, mercurialia celebratissima sunt, praesertim cum scrophula

complicata sit impetiginibus, lue venerea, aut colluvie verminosa, quae infantum intestina utplurimum obsidet. Hydrargirium interne pluribus sub formis adhibetur, et diversa ipsius praesto sunt praeparata, quae inter saepe saepius proponitur calomel laevigatus, qui summe competit adultis non modo, sed teneris quidem infantibus. Utiliter non raro jungitur jodio, cicuta, martialibus et etiam narcoticis cum infantes sensiliores sint.

Antimonialia famam quoque meruere, et tartarus emeticus primo loco celebratissimus fuit, refracta dosi administratus ut nauseam ciat, aut dosi plena ut vomitum excitet: sic Bordeu: *vomitus debet assidue provocari*: et Avicenna: *de evacuationibus laudabilibus in scrophulis est vomitus.* Laudantur tartras antimonialis potassae, sulphur auratum antimonii, kermes etc. quorum vis resolvens in vascula praesertim minima diffunditur. Aptissima sunt ferri praeparata ad scrophulas avertendas cum potissimum mercurialia absque effectu experiantur; quidam auctores celebrarunt oxydum ferri et tartritum ferri, alii muriatem ferri et aeterem martialem, sed inter hos eminent flores salis ammonii martiales multum laudati a Pujol et aliis; presertim cum febris adsit fortis et tussis molesta.

Sub usu horum medicaminum aliquandiu peracto, fere semper morbus compescitur aut emendatur: interdum tamen, si perduret, ad alia re-

media fortiora confugere opus est, quae ex narcoticorum classe depromuntur. Inter haec cicuta primum tenet locum; virtute gaudet resolventi, sedanti et elective agit in cutem, hinc magis proficua videtur in iis scrofulis impetiginibus complicatis et ulceribus. Clar. Hufeland laudat eam in irritationibus intestinorum, et praesertim mesenterii, in phlogosi pulmonali et etiam phthisi. Valde remedium efficax contra scrophulas exsurgit digitalis purpurea, pluribus medicis commendata: eminenter agit in systema lymphaticum, absorptionem et diuresim promovet, infarctus solvit praesertim si mercurialibus jungatur, effusiones et hydropes scrophulosas dissipat, plurimum laudatur in asthmate, tussi et phthisi pulmonum.

Quidam inter narcotica laudarunt opium, hyoscyamum, belladonnam, etc. sed ista multum periculosa sunt et dubii exitus, qua de causa est cavendum. Ob vim valide resolventem in aliis morbis comprobatam, in scrophulosis tumoribus quoque pertinaciter curationi resistentibus, praesertim adultorum, et ubi arthritica causa concurrere videtur, tentari meretur aconitum. Collin, Störk in glandularum tumoribus scrophulosis etiam inveteratis quae cicutae vim eludent multum laudarunt.

Resolventibus et evacuantibus per aliquod temporis spatium usurpatis, morbus utplurimum valde imminuitur; superest vero adhuc, ut totus profligetur, perfecta reddatur curatio ac praeca-

veantur recidivae; quod quidem perficiunt remedia roborantia, initio solventibus jungenda, quorum tunc efficaciam egregie adjuvant et adaugent, dein sola exhibenda, quo obfirmetur systema chylopoeticum, systema lymphaticum, totumque corpus. Inter haec celebratissimae sunt decoctiones bardanae, centaureae, dulcamarae, et corticis peruviani, nec non martialia. Considerare tamen oportet quod cinconina nocet ubi primae viae saburris obnoxiae sint, ubi abdomem insigniter tumidum vel induratum crebros insignesque ipsorum viscerum infarctus prodit, et ubi excretiones per alvum, cutem, urinam languent: in hisce omnibus casibus remediorum praeparantium, resolventium, evacuantium, ope morbus minuendus ac mitigandus est, et tum demum caute ad corticem progrediendum.

Casibus simplicioribus cura interna sufficit ad adfectiones externas simul extirpandas, interdum vero symptomata localia post admotam et victam diathesim quoque persistunt. Si quaedam glandulae igitur externe dolentes fiant ac inflammentur, tunc curae internae jungere topica remedia opus est, ut harum resolutio foveatur. Inter externa remedia efficaciora enumerantur cataplasmata cicuta, squilla, digitali confecta, et frictiones etiam mercuriales caute factae.

Quod si plures glandulae simul in inflammationem vergant, vel totum adeo systema lymphaticum, dispositionem flogisticam fovere vide-

atur, levi inhorrescentia, pulsu paulo citiori, languore, febricula, tum vanum esset inflammationem removere, sed potius supuratio humorum expectanda, quin leniter promovenda est. Scrophulae inflammatae, a liberiori aeris accessu tueri et lenioribus emollientibus impositis suppurationi favere oportet: ruptio abscessus, spontanea est expectanda, nisi ob loci structuram aut ossium carie urgeat, nam qui ferrum chirurgicum experiuntur, acrius inflammantur, et pertinacius exulcerantur. *Nunquam* ait Cullen *spontanea abscessus ruptio accceleranda est, vel adeo incidendus tumor, cum materia scrophulosa externi aeris accessu, acrior magisque corrodens videatur evadere et latius quoque diffundi.*

Morbus interdum ad tam altum gradum evectus est, quod omni curationi resistit et exitus funestos parit. Cum igitur omnia remedia praenunciata sint periclitata, et morbus tamen progrediat et extendatur vi organis nobilioribus uti mesenterio aut pulmonibus, in hoc summo periculo tum ad medicamina efficaciora confugere debemus, quae vero intensitati et gradui inflammationis congrue respondeant.

Si mesenterium phlogosi laboret, doleat, et tumidum fiat etc. narcotica resolventia sunt praescribenda, uti digitalis, aconitum, belladonna, cicuta, mercurialibus juncta; utiles quoque erunt potiones lactariae, gummosae, mucilaginosae

epicratice sumptae; optima erunt etiam cataplasmata loco dolenti adplicita, cicutae, foliorum digitalis, floribus chamomillae confecta. Quod si phlogosis chronica evadat, id quod frequentius accidit, magnopere juvant martialia, leves praeparationes rhei electi, saponariae, acetatos potassae admixtae. Boerhaave et Van-Swieten laudant scammoneam, aloem, jalapam, sennam, scopo phlogosim excitandi acutam, sed multa interdum pericula existere possunt; irritationem hinc magis augere. Cum vero phlogosim compescere nequeamus et ad exitum suppurationis intendat, remedia antiscrophulosa rejicere opus est et symptomata tantum curare; hic decoctiones mucilaginosae et blanda narcotica plurimum conferunt ad spasmos atque dolores sedandos.

Si phlogosis pulmones obsideat et intensa sit, pulsus fortissimi, duri, pleni, respiratio perdifficilis, excreatus sanguine picti, venae sectio magno adjuvamine erit forsan praescribenda, vel adplicatio hyrudinum pectori aut vasis haemorrhoidalibus. Quidam medici adplicare sentiunt sinapismata brachiis aut pectori scopo revellenti. Sed haec plerumque, uti constat ex praxi, phlogosim augent aut latius diffundunt, larga praeterea supuratio quae subsequitur, aegrum valde extenuat, qua causa prudenter sunt vitanda. Medicamina aptiora huic morbi stadio sunt digitalis, phellandrium aquaticum, ipecacuanha et kermes

dosi refracta administrata, praesertim cum suppressa sit expectoratio, quod phaenomenon saepe saepius irritationem auctam indicat. Sunt quoque laudandae decoctiones seminum lini, hordei, altheae oximelle squillitico admixtae; quibus pharmacis si phlogosis resistat et lentum cursum habeat, tunc squilla, extracta dulcamarae, cicutae saponi medicinali juncta erunt adhibenda; quod si admodum rebellis videatur medicaminibus et excreatus sit purulentus, febri, sudoribus nocturnis juncta etc. Cortex peruvianus, mirrha et lichen islandicum syrupo diacodii aut laudano liquido Sydenhammi admixtum sunt omnibus praeferenda.

Cum vero tenax sit morbus, et corpus universum macie confectum, tunc abscissa est omnis spes salutis et vim tantum symptomatum mitigare debemus lenioribus antiphlogisticis, emollientibus, et antispasmodicis. Non infrequenter hoc tertio morbi stadio, quidam aerumnosi effectus generantur, uti pedarthrocax, tumores albi, hydarthroses, caries, hydropes, quae omnia nullam admittunt curationem, sed gravius morbum exasperant et vitam in extremum adducunt.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Qui chronicis detinentur affectionibus, melius se habent in collibus, exceptis ulcere pulmonum detentis.

II.

Medicus, quo plus potest, aegroti gustui cum remediis obtemperet.

III.

Terror non raro convenit ad morbos quosdam fugandos.

IV.

Pathema animi caussa plerumque gravis et frequens nevrosium.

V.

Hydrops exitus non infrequens exanthematum irregulariter decurrentium.

VI.

In chronicis quibusdam articulationum morbis efficax remedium moxa.